

citer absoluat. Quid prodest igitur nobis tanta pseu-  
dochimicorum fœda defraudatio, & labor laboriosissimus,  
quæ tamen omnia à veris artificibus promera stultitia æ-  
stumantur: immo cottidie ab iisdem ludibrio habentur,  
quod oculos suos melius non aperiant, sed in Sophisma-  
tibus istis pertinaciter perseuerent, in quibus & immo-  
rari & denique etiam omnino mori ipsos oportet, cum  
nihil amplius, quam sophisticos istiusmodi libros, inqui-  
rere & legere satagunt. Omneis igitur ipsorum actiones  
sophisticæ, non Philosophicæ sunt, ea propter etiam ad  
nullam artem vel veritatem peruenire possunt.

Hoc autem nunc vere tibi affirmatum volo, quam diu  
mendacia, non autem artem philosophicam amaueris,  
tam diu etiam tibi veritas non reuelabitur: quamuis et-  
iam & ipse in Sophisticis istiusmodi regiminibus perse-  
uerauerim, & in sublimando, distillando, calcinando,  
circulando laborauerim, nec quibusdam etiam substan-  
tiis, utpote vrinæ, sali, atramento sutorio, alumini & c. pe-  
percerim. In crine, vino, ouis, ossibus, & omnis generis  
herbis quoque vario labore me excruciaui, & Arsenicum,  
& Mercurium cum sulphure tentavi, omnia mineralia &  
metalla probavi, per fortes aquas, & lixiuia, illa attigi, id-  
que soluendo atque coagulando: in amalgamando &  
præcipitando me exercui, & nihilominus tamen nullam  
exinde voluptatem & lætitiâ capî: Quintæ essentiæ  
multum fideram, verum & heic quoque me deceptum  
deprehendi.

Quamobrem, dilecte frater, te diligentissime moneo,  
ut, si in tam eximiam artem, aliquid inquirendi, te recipe-  
re velis, in sophisticum in ordinarium regimen sublima-  
tionis